



V, 54-95

V.a 56  
UP-97 pag 57-58 a  
B 5 Vol. II.

DE

SCHOLASTICA DISCIPLINA

CONTINUATIO ALTERA

PROGRAMMA

QUO AD AUDIENDUM

ORATIONES

DIE XIX. MENS. DEC.

POST MERID.

IN STEPHANEO

HABENDAS INVITAT

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE. R.



HALBERSTADII,

EX OFFICINA DELIANA, MDCCCLXVI.

**D**ivi Andreæ quoties in farti recurrit dies, suavi perfundi-  
mur voluptate singularis liberalitatis, qua ludum no-  
strum munifice auxerunt Reverendissimi scholæ nostræ  
olim Patroni, nunquam intermoritura recordatione. Et erat  
in animo, hunc ipsum diem, qui in calendas hujus mensis inci-  
dit, aliqua solemnitate scholastica celebrare: sed causæ impro-  
vifæ, non prorsus leves, consilium interpellarunt; uti dies  
a. XIII. cal. Ian. qui *Veneris* est, ei fuerit destinandus. Prodi-  
bunt enim ad dicendum adolescentes aliquot, quorum industria,  
& laudabile proficiendi studium a nobis flagitat, ut eos, qui in-  
geniis favent, rogemus enixe omnes, ut sua præsentia honesta  
ipsorum studia non modo comprobare sed magis acuere & in-  
cendere pro sua benevolentia velint. Quo confilio cum aliquid  
scribendum esset, rediit in memoriam quæstio, quam me expli-  
citum esse professus sum, de *Disciplina Scholastica*. De qua  
superioribus aliquot programmatibus ita a me actum est, ut,  
*qualem eum esse oporteat, cui ea recte committi posse videatur*, sit a  
me pro qualunque mea facultate declaratum. Itaque hoc tem-  
pore hujus disputationis aliud quoddam membrum curatius in-  
spiciam: *Qui disciplina scholastica continendi sint*, consideraturus.  
Cujus rei explicatio ita facilis est, & ita cuivis obvia, ut ei  
immorari non necesse videatur, imo ne utile quidem; nisi hic  
essent quædam monenda ita necessaria, ut, cum sæpiissime ne-  
gligantur, & contra ea cottidie peccetur; satis inculcati, &  
repeti non posse videantur.

Uti enim nemo est, quin intelligat, si quæritur: *qui disci-  
plinae scholastice subjici debeat, respondendum esse, omnes, qui  
in*

in ludo aliquo institui cupiant, iisdem, quibus ceteri, legibus obnoxios  
 esse debere: Sic non facile quisquam rei scholasticæ, atque mo-  
 derandæ juventutis tam ignarus rationis est, quin saluberrimam  
 imo necessariam hanc, qua scholarum salus continetur, legem sæ-  
 piissime negligi intelligat. Quod cum sit perniciosissimum: mo-  
 nendi videntur omnes, ut gravissimum præceptum, quod ita  
 perspicuum est, & apertum, ut cui illud obscurum sit, cimme-  
 ria caligine circumfusum esse oporteat, summa cura, imo reli-  
 gione, tuendum & conservandum putent. Atque primo qui-  
 dem caveant, ne si quem præ ceteris amant, ei contra scholasticæ  
 disciplinæ vim atque leges indulgeant. Sunt utique in majore præ-  
 fertim discentium numero, quos præ ceteris honeste & religiose  
 diligimus, imo amamus. Aliqui fortasse cognatione nos attin-  
 gunt; in aliis ingenium suspicimus; in aliis honestatem & elegan-  
 tiam morum, & virtutem in pulcro corpore etiam gratiorem;  
 in aliquibus utrumque; intercedit interdum inter discentes &  
 docentes similitudo major, quæ non potest non singularem conciliare amicitiam; alii ob alias causas pie & casta præ ceteris di-  
 liguntur. Quod uti improbari nequit, imo laudabile est: ita  
 opera sedulo danda, ne hic amor eam in nobis vim habeat, ut  
 propter eum de discipline scholasticæ gravitate aliquid remit-  
 tendum putemus; sed eam in his, qui nobis tam cari sunt, mo-  
 derandis diligentissime adhibeamus. Quod si enim amicitia  
 omnis vitiosa, & sanctissimo nomine indigna est, quæ ad amici-  
 vitia connivens ea aut confirmat, aut confirmari æquo animo  
 patitur: quanto indignius est præceptoris, amicissimi etiam &  
 amantissimi, gravitate & constantia, addam, in Christum amo-  
 re, in amicitia ea admittere, quæ in pueris, paullo prudentiori-  
 bus, non feruntur, sed turpitudinis reprehensionem non sine  
 ratione habent adjunctam. Quo enim nomine insigniendam pu-  
 tamus eam amicitiam, qua amici salus convellitur, & evertitur?  
 Si enim amicis illud propositum est, amicitiæque propterea

junguntur, ut alter alterum adjuvet, augeat, ornet, de malis moneat, eaque aut prohibeat, aut leviora efficiat: nonne cum natura amicitiae pugnat, nimia indulgentia amicum perditum ire, & quo minus felicitatem consequi possit, impedire? Quod non fieri nequit, præsertim in adolescentulo, nisi in officio, in quo vis discipline scholasticæ consistit, continetur: cum, officio omisso, aut neglecto, gravi præsertim, & arduo, salutem & incolumentem concidere necesse sit.

Secundo providendum est, ne his, qui generis nobilitate, opibus, amplitudine, ceterisque talibus rebus inter ceteros eminent, aliquid contra disciplinæ scholasticæ sanctitatem concedatur. Solent quidem ejusmodi pueri, adolescentulive, ut est hæc ætas ad insolentiam pronior, his rebus freti insolescere, & ut, quæ in ceteris animadvertuntur, sibi impunita sint, postulare. Ipsi parentes nimio filiorum amore occæcati pessimæ interdum suffragantur cupiditati, eosque, quibus disciplina scholastica commissa est, aut muneribus colunt, imo corrumpunt; aut si his parum proficiunt, ne severiore suos continere audeant disciplina, terrere conantur. Quorum voluntati tam est resistendum, quam puerorum libidini; nisi omnem disciplinam funditus everti volumus. Non enim hi modo, quos laxiore legum custodia circumdabimus, in officio se non continebunt, sed nec ceteri contineri poterunt: qui cum pari loco sint & conditione, non sine causa, ut, quod ceteris licet, idem sibi concedatur, postulabunt; atque extra oleas vagati si coercentur & reprimuntur, magistri in opulentos æquo indulgentioris, in se autem justo acerbioris amor & integritas merito erunt suspecta. Quod non modo exemplo erit perniciosum, sed etiam efficiet, ut omne studium & omnis opera in illis moderandis deinceps collocata inanis sit atque irrita futura. Quare qui disciplinam scholasticam integrum conservari cupiunt, dabunt operam, ut quo quisque est opulentior, quo nobiliori, aut honestiore loco natus, quo ampliores parentes

tes habet, cognatosue; hoc diligentius, ne ab officio deflectat, custodiatur. Cum enim tales pueri sint liberalius educati, exigitur ab iis posse videtur, ut sponte sua ad optima quævis ferantur, aut certe facili negotio se admoveri patientur: quibus, si ferociores erunt, tanto fortius resistendum est, quo damnosior ferocitas in his est, qui opibus valent & genere; cum his rebus suffragantibus, quæ procaciter concupierunt, possint facilius consequi, quam ceteri. Accedit quod ceteri tanto se facilius regi patiuntur, cum erga laudatores severitatem adhiberi animadvertiscant: quorum, si boni erunt & probi, exemplo movebuntur, aut, si mali sunt & leves, reprehensione & animadversione, ne his similes esse velint, deterrebuntur; talitem non irascentur, si quæ poena etiam opulentiores manet, etiam a se, si illos imitari audiant, exigatur. Et certe in patriam graviter peccabit, quisquis eos adolescentulos, qui propter generis amplitudinem, laudatusque partimonium egregiam poterant ei navare operam, corrumpi & perverti patitur, quod non fieri nequit, nisi pueritia eorum, & adolescentia salutaribus legibus & institutis regitur, & diligentissime gubernatur.

Quod si autem horum insolentia reprimenda est: *quanto magis stolidæ eorum importunitas frangenda erit, qui ne his quidem rebus invitati disciplinæ scholastice cancellos perfringere temere conantur.* Duo hic occurunt immoderatorum adolescentium genera. Unum eorum, qui, quod symphoniaco choro fortasse operam aliquam navant, disciplina scholastica circumscribi nolunt: præsertim Atlantes illi, qui sibi suis humeris torquere puerorum canentium axem videntur. Qui, in minoribus præsertim oppidis non modo officiis omnibus desunt, sed in foedissimis flagitiis sic interdum voluntur: ut non videam, cuius sit patientia aut levitatis talia prodigia ferre, quæ pessimo exemplo, & inquinatissima vita, castas puerorum innocentium mentes contaminant, & ad paria scelera suscipienda hortantur, stimulant, &



facem præferunt. Ego sic arbitror, adolescentulum paulo prudenterem, nisi ad omne scelus profligatus sit, non postulatum, ut sibi propterea, quod aliorum beneficiis vietit, & sustentetur; ignavo, improbo ac flagitioso esse liceat; nisi forte suo comprobandum putet exemplo: paupertatem multorum scelerum magistrum esse; sed elaboraturum potius, ut modestia, industria, morumque honestate se non indignum beneficiis esse, declareret: & qui satis sint impudentes, ut scholasticam disciplinam detrectent, eos, si id præ se ferant ad scholam accedentes (est vero in quibusdam tam incredibilis stupor dicam? an impudentia) tanquam scabiosas pecudes recipiendos non esse, sed longissime fugandos; aut si recepti sint, compescendos; & si pertinaciter resistant, quam primum disturbandum nequissimum homuncionum globum. Alterum ferocium juvenum genus, quod mihi obversatur, eorum est, qui, quod ad academias abi-re volunt, extremis temporibus scholasticæ disciplinæ impati-entes ejus vincula divellere cupiunt. Absit, ut omnibus talem ferociam tribuendam putem. Namque fuerunt ex nostris complures tanta moderatione, & tanto pudore, ut ad ultimam horam, quam inter nos egerunt, sibi similes fuerint; quorum memoria non potest nobis non esse jucundissima: plerique tamen, alioquin non immodesti, sub finem scholastici curriculi, aliqua exequiendi salutare disciplinæ scholasticæ jugum cupiditate tentantur. Cum autem vehementer non modo ad ipsorum adolescentum salutem pertineat, ut sint temperantes, nec academicae insolentiae unquam adfuescant; sed etiam reliquorum commodum atque utilitas poscat, ne mali contagie inficiantur: monendi videntur omnes, qui disciplinæ scholasticæ consultum cupiunt, ut huic seu errori, seu fervori, seu furori juvenili tanto constantius occurrant, & resistant, quo latius evagari gestiet.

Quarto denique præcipiendum videtur, *ne his, qui spiritus sanctii divino motu præceteris centur, contra scholasticam disciplinam aliquid*

aliquid concedatur. Ut sumus natura corrupti omnes; & pueri  
 præsertim nimia levitate laborant: sic fit, ut & hi, qui præ ce-  
 teris ad spiritus sancti disciplinam se aut contulerunt vere, aut  
 contulisse videri volunt, interdum laxius haberi, & tractari cu-  
 piant. Et facit interdum optimorum magistrorum partim amor,  
 partim metus, ne qua re negata offendatur ejusmodi animus  
 molliter profecto & amanter tractandus, ut remittatur aliquid,  
 quod scholastica disciplina exigebat. Quod quidem, ut mihi  
 videtur vehementer est reprehendendum. Si quid enim video,  
 ab his, qui spiritus sancti diviniori motu adficiuntur, ut, quæ  
 scholastica disciplina præscribit, iis diligentissime satisfaciant,  
 non modo possimus postulare; sed etiam, nisi illis nocere volu-  
 mus, debemus. Quod si enim ab illis, qui sola ratione duce  
 utuntur, ut intra scholasticæ disciplinæ fines se contineant, me-  
 rito exigimus: quanto id æquius ab his postulamus, qui spiritum  
 sanctum veri, recti, & honesti non modo auctorem, sed etiam  
 effectorem, sibi delegerunt ducem. Et si a Servatore verissime  
 præceptum est, *qui in parvis rebus fidem non præstet, ei graviores*  
*concredi non posse.* Luc. XVI. quomodo sanctioribus & internis  
 Christiani hominis partibus satisfaciet is, qui, quæ humana disci-  
 plina poscit aut non vult præstare, aut non potest? Quare in  
 eum, qui sanctitati vitæ diligentius studendum putat, præ cete-  
 ris intentum esse oportet bonum paedagogum, ne quid admit-  
 tat, quod cum disciplina scholastica consistere nequit. Neque  
 enim pueri salus incolmis esse potest, si ab officio desciseit: &  
 cum ceteri huic contra leges indulgeri intelligent; aut virtutis  
 simulatores erunt, ut sibi idem liceat; quo pejus nihil esse potest:  
 aut in se severitatem adhiberi ægrius ferent qua re disciplinæ  
 scholasticae salutaris fructus omnis evanescet, & interibit.

Plura hoc tempore non addam. Rogandi enim adhuc sunt  
 tum scholæ nostræ Reverendissimi Patroni, tum quotquot ado-  
 lescentibus probis, navis, & modestis fauent, velint orati-  
 unculas,



unculas, quas a dicentibus scriptas emendavi, crafstina luce, qui Veneris dies est, horis postmeridianis a secunda recitandas clementer & benevole audire. Quod quanta possum maxima submissione animi, & observantia facio. De quibus rebus acturis sint dicentes patrio sermone adjungam. Scrib. Halberstad. a. d. XV. cal. Ian. MDCCLXVII.

### Die Redenden werden in folgender Ordnung auftreten:

**Joh. Heinr. Theodor Cuno**, aus dem Braunschweigischen, beweiset in einer teutschen Rede, daß die Wohlthäter der Schulen vor andern auf unsern Dank gerechten Anspruch machen können.

**Gothilf Christian Söllner**, aus dem Braunschweigischen, wird in einer teutschen Rede darthun, daß die Feinde der Sprachen auch Feinde der Gelehrsamkeit sind.

**Andreas Matthias Christian Röder**, aus Halberstadt, redet von dem Einfluss der griechischen Literatur in die Gelehrsamkeit, teutsch.

**Johann Christian Michaelis**, aus Halberstadt, zeigt den Nutzen der Welt-Weisheit, lateinisch.

**Johann Christian Riese**, aus Westphalen, wird von einer Stelle aus dem Propheten Jeremia, daß sie auch nach den Regeln des guten Geschmacks vorzüglich schdn sey, erweisen.

**Joh. Heinrich Friedrich Kubel**, aus Gandersheim, thut dar, daß der Winter eine angenehme Zeit für den Studirenden sey.

**August Wilhelm von Bismarck**, aus der Mark, beweiset daß Cicero kein Poltron gewesen. **Ludewig Theodor Georg Stilke**, aus Thale, besingt die Allmacht Gottes in teutschen Versen.

**Carl Christian Septimus von Veltheim**, aus Harbke, bemüht sich in einer französischen Rede zu erweisen, daß der Adel vor andern verpflichtet sey, etwas gründliches zu erlernen.

**Franz Jacob von Cram**, aus dem Braunschweigischen, handelt von der Nothwendigkeit der Betrachtung des Todes in einer teutschen Rede: in welcher er von der Schule Abschied nehmen wird.

**Theodor Philipp Friedrich Purgold**, aus dem Magdeburgischen, wird eine Stelle aus dem Homer in teutsche Verse übersetzt, hersagen.

**Friedrich Carl Beyer**, aus Halberstadt, wird zeigen, daß der wahre Gelehrte ein nützliches Mitglied des gemeinen Besens sey.

Ich wiederhole meine Bitte an alle gnädige Gönnner und Freunde unsrer Schule durch Ders Gegenwart, womit Sie den Fleiß der Redner belohnen, unsre zahlreiche und liebenswürdige Jugend zu ermuntern.



80 A 6231

vol 18

Nur für den Lesesaal


ULB Halle  
004 585 895

3



Wohl nicht verloren





DE  
**SCHOLASTICA DISCIPLINA**

CONTINUATIO ALTERA

**PROGRAMMA**  
**QUO AD AUDIENDUM**  
**ORATIONES**

DIE XIX. MENS. DEC.

POST MERID.

**IN STEPHANEO**

HABENDAS INVITAT

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE. R.



HALBERSTADII,  
EX OFFICINA DELIANA, MDCCCLXVI.

